

XXXVII

AD SODALES

*Strophe Alcaica*

Nunc est bibendum, nunc pede liberō  
Pulsanda tellūs ; nunc Saliāribus  
    Ōrnāre pulvīnar deōrum  
    Tempus erat dapibus, sodālēs.

Antehāc nefās dēprōmere Caecubum  
Cellīs avītīs, dum Capitōliō  
    Rēgīna dēmentēs ruīnās,  
    Fūnus et imperiō parābat,

Contāminātō cum grege turpium  
Morbō virōrum, quidlibet impotēns  
    Spērāre, fortūnāque dulcī  
    Ēbria. Sed minuit furōrem

Vix ūna sōspes nāvis ab īgnibus ;  
Mentemque lymphātam Mareōticō  
    Redēgit in vērōs timōrēs  
    Caesar, ab Ītaliā volantem

Rēmīs adurgēns (accipiter velut  
Mollēs columbās, aut leporem citus  
    Vēnātor in campīs nivālis  
    Haemoniae), daret ut catēnīs

Fātāle mōnstrum. Quae generōsius  
Perīre quaerēns, nec muliebriter  
    Expāvit ēensem, nec latentēs  
    Classe citā reparāvit īrās :

Ausa et iacentem vīsere rēgiam  
Vultū serēnō, fortis et asperās  
    Tractāre serpentēs, ut ātrum  
    Corpore conbiberet venēnum,

Dēlīberātā morte ferōcior,  
Saevīs Liburnīs scīlicet invidēns,  
    Prīvāta dēdūcī superbō  
    Nōn humilis mulier triumphō.